



Disputatio medica inauguralis de haemorrhagia

<https://hdl.handle.net/1874/342357>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE
HÆMORRHAGIA,
QUAM,
DIVINA FAVENTE GRATIA,
Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. M. JOANNIS LUYTS,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimeque
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis
ritè consequendis,

*Eruditorum Examini subjicit
LAMBERTUS BLOEMENDAL, AMSTELOD.
Ad diem 7. Martii, horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc Ioc LXXXIX.

Expertissimo Clarissimoque

V I R O,

D. JACOBO DE VISSCHER,
Medicinæ Doctori, ac in par-
tibus borealibus Practico vi-
gilantissimo , fælicissimo.

U T E T

D. GULIELMO THIJM,
Apud Amstelodamenses Mer-
catori sagacissimo.

Avunculis , & nuper curatori-
bus meis fidelissimis, iisque no-
minibus dum vivo honorandis,
colendis.

Hæc Theses Inaugurales

Offert

LAMBERTUS BLOEMENDAL,
AUCTOR.

PROOEMIUM.



Oribus ac ritibus Academicis satisfaturus, specimen aliquod meorum profectuum in publicum ut proferam necesse est, qua propter mihi dudum hesitanti præ ceteris, quibus machina nostra primitur affectibus, tanquam navis imbris procellosis exposita arrisit Hamorrhagia, quam quantum ingenii mei tenutas patitur, endandam suscepi, utpote quæ plurimum affectuum fons & origo esse consuevit, hominem enim sanguine sine quo vivere nos non posse nemo ibit inficias, destitui non oportet, quod ut ad nutum succedat Deum ter Opt: Max: præcor ut ceptis meis annuere non dedignetur.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

D E

HÆMORRHAGIA.

THE S I.



E vero hæc mea Thesis extra ordinem incepta videatur, à vocis etymologia exordiri placuit, etiamsi non multum nostri intersit hanc enodare, quia quæstio vocis est, quæ potius grammaticis relinquenda quam Medicis indaganda censetur. Sed equidem cum Scaliger optime dicat alibi, *vocis explicatio ad cognitionem rei est quasi quadam preparatio, & nomina sunt symbola rerum.* Sic ejus prolatum sequens vocem Hæmorrhagiæ puto oriū ex voce Græca ἀίμα sanguis & πνυμὶ rumpo.

I I.

Quod autem ad ulteriorem Hæmorrhagiæ enodationem spectat, eam *sanguinis extra suā vasā profluvium esse* dicimus.

I I I.

Variæ apud Auctores ejus censemur differentiæ pro ut variis in locis accidit, ita etiam inde varia sortitur nomina.

Sanguinis è naso profluvium Hæmorrhagiæ narium dicitur.

Vasa pulmonum si diffingantur, exoritur Hæmoptysis.

Dum dilaceratis vasis ventriculi sanguis ejicitur vomitus sanguinis appellatur.

Mixtio sanguinis nuncupatur dum sanguis prodit ex renibus vel vesicâ per vias urinarias.

In

I N A U G U R A L I S.

In intestinis ubi vasa sanguinea corrosa & feces cruentæ reduntur Dysenteriam constituent.

Hæmorrhoides nominantur cum venæ anum alluentes Hæmorrhoidales dictæ suum eructant sanguinem.

Sanguis qui ex vasibus uterinis in mulieribus sanis, & ætate conveniente præditis, profluit, fluxus menstruus seu menses appellandus est, eo quod singulis fere mensibus redire soleat.

Qui dum post enixum fætum ab utero prodit lochia dicenda sunt.

Nonnunquam etiam contingit ut sanguis sub forma sudoris erumpat ut in sudore anglico apparet.

I V.

Variæ præterea inveniuntur adhuc differentiæ, quas inter sunt Hæmorrhagia spontanea & violenta.

Spontanea vocatur, cum absque ullâ causâ sensibus obviâ factâ accidit sanguinem sua vasa perrumpere.

Violenta vero dicitur dum à causâ externâ in sensus incurrente contingit ut ab ictu, contusione, vel ab aliis causis externis quæ unitatem vasorum sanguineorum dissolvere possunt.

V.

Spontaneam Hæmorrhagiam denuo distingunt in morbosam, & non morbosam; morbosam sc. quæ originem suam aliqui prægresso morbo debet, eumque comitatur non morbosam quæ propriis suis causis fuit excitata & naturalis nuncupatur.

V I.

Ad ulteriores Hæmorrhagiæ differentias accedamus, quæ ex eo desumuntur quod sit critica alia, alia symptomatica.

Criticam videre est in Febribus acucis vi naturæ causam mortificam expellere conantis aliquando etiam sine Febre, naturâ sese à superfluo sanguine exonerante, unde visi sunt apud Auctores quam plurimi ætate juvenili Periodicam Hæmorrhagiam pati & alios etiam per alias vias sanguinem utiliter effundere.

Symptomatica autem in morbis Chronicis præcipue con-

6 D I S P U T A T I O M E D I C A

tingit in quibus sanguis vitiosus ab hepate debiliori & insigni quādam intemperie laborante producitur qui vel ob retentricis facultatis imbecillitatem per venas illas effluit vel ab expultrice ejicitur tanquam onus inutile cum sanguis impurus & vitiosus corpori alendo non sit aptus natus.

V I I.

Subsequitur causa interna proxima quā positā necessario ponitur effectus, quāque remotā tollitur, quæ est sanguis quantitate vel qualitate peccans.

Sanguis quantitate peccans venas rumpere & orificia illarum aperire potest, ut in plethora, & qualitate peccans si fuerit calidior justo & tenuior per Anastomosim efficit, quia calor orificia dilatat & tenuitas efficit quod facilius effluat. Ex ipsæ qualitatibus diapedesim quoque efficiunt, calor enim rarefacit tunicas vasorum & sanguinem tenuorem reddit ut per poros illarum tunicarum transudare possit, sanguis denique acrimoniā venarum tunicas exedit, & exulcerat, & diabrosum parit.

V I I I.

Causis internis expositis necessarium est ut me ad externas accingam, quæ extra corpus existentes internarum causæ esse possunt, inter quas non infimum locum obtinent omnia illa quibus vasorum unitas immediate dissolvitur quemadmodum infortuniis, iictibus, casibus, vulneribus &c.

I X.

Aërem non est quod præteream si à rebus non naturalibus exordium sumendum sit cum absque eo super esse nemo posset, nonne aér quem continuâ respiratione in sanguinem admittimus, quemque per poros corporis insensibiles recipimus suis particulis crassioribus admistis sanguinem incrassare potest? acribus in eo acredinem efficiendo? subtilibus & summe agitatis majorem introducendo motum? atque ita his nominibus Hæmorrhagiam efficere?

X.

Alimenta quibus nutrimur tam solida quam liquida etiam sanguinem vitiare possunt, ita videmus post abusum spirituorum,

rum, & per quam acrum crebras evenire Hæmorrhagias, sic & post præviam crapulam frequentem, Hæmorrhagia non est infrequens.

X I.

De nimiis vigiliis quoque non est subticendum cum sanguis ex iis nimiam acredinem Contrahere potis sit.

X II.

Idem per corporis exercitia vehementiora fit, cum sanguini motum inordinatum inducant.

X III.

De animi pathematis calidioribus nemo ibit inficias cum nil sit quod spiritus & sanguinem impetu majori per Corpus rapere valeat, & per consequens Hæmorrhagiam causare posset.

X IV.

Excernenda quoque dum retinentur hunc affectum inducunt præsertim ipse sanguis excernendus per destinatā ad id locā dum retinetur, ut dum mulieribus menstrua subsistunt sanguis sæpe naribus & canthis oculorum &c. effluere solet.

X V.

Conducunt quoque multum symptomata quæ Hæmorrhagiam concomitantur, ut dum hæmoptoe oritur a tussi vehementiori, nares a forti sternutatione sanguinem fundunt, ventriculus a vomitu eadem patitur quatenus sc. hac ratione partes illæ, & in ipsis contenta vasa sanguinea agitantur & concurtiuntur vehementer.

X VI.

Reperitur quandoque etiam origo penes ipsa vasa dum a variâ materiâ obstruuntur sive ab ipso sanguine grumoſo alibi collecto sive a materiâ calculosa sive à quâcumque demum aliâ, dum a partium incumbentium tumoribus aliquâ in parte comprimuntur, dum post perpeſſa ulcera vel vulnera hic aut illic coalescunt, non difficulter sanguini viam quâ effluat pandere possunt, quippe sanguis qui perenni motu per corpus circu-

8 DISPUTATIO MEDICA

circulatur obstaculum offendens quo minus liberum cursum continuare valeat retro cedere cogitur; & via quā retrocedat cum ipsi denegetur, ob sanguinem continuo a tergo allabentem vasa sua eo loco ita distendit ut prae necessitate rumpantur.

X V I I.

Quod vero de prognosi dicendum venit facile ex recensitis Hæmorrhagiæ speciebus & differentiis innotescet.

Sanguinis effluxus quamvis in genere nil boni in corpore nostro producat cum sc. sine virium nostrarum dispendio fieri non possit pro locorum tamen quibus accidit ratione varie culpandus est ita ut hic noxius summe, illic minus, imo alibi proficius fit.

Sic in pulmonibus obortâ hæmoptoe, sanguine extra vasa effuso & in pus converso teneram membraneamque pulmonum substantiam summopere infestat.

Minus nocet ea quæ naribus frequentissima est emissio nisi gravior fuerit & copiosior.

Imo proficuum est & naturæ institutis consentaneum sanguinem singulis mensibus ex vasis uterinis profluere in illis mulieribus quarum ætati illud consentaneum est, uti & peractâ factus exclusione puerperas sua & vocant lochia pati, dummodo debitæ quantitatis limites non excedant.

X V I I I.

Hæmorrhagia symptomatica semper est metuenda & curatu nonnunquam adeo facilis, critica vero nil fere periculi habet sed ut medicus certo de eventu quidpiam determinet, consideranda (1) est Hæmorrhagia num spontanea, num artefacta, num critica sit. Spontaneam non naturalem etiam fanis evenisse pluribus quotidiana docet experientia. (2) Ad causam attendendum. (3) ad quantitatem Hæmorrhagiæ quoniam inde oriri possunt syncope, convulsiones, & variii morbi frigidi veluti cachexia, leucophlegmatia, hydrops & si quæ alia quod de quantitate dixi idem de diuturnitate dictum puta. (4) Frequentia Hæmorrhagiæ non est omittenda cum vires val-

IN AUGURALIS.

valdopere debilitet. (5) cum his omnibus ratio subjecti & circumstantiae habenda est veluti circumstantia loci, temporis, subjecti, nam pueris & adolescentibus (cæteris paribus) haud molesta est ubi e contra senibus si superveniat evadat molestior. Id ipsum etiam dicendum ratione sexus cum utero gerentibus dum hic morbus eas invadit sit periculosior.

XIX.

Ordo nunc postulat ut ad curationem properemus in quâ advertendum (1) utrum critica, utrum sit symptomatica, critica enim salvis viribus inhibenda non est, symptomaticam vero cohibere seduli est medici & curatio secundum hos scopos est instituenda (2) amotis evitatisque causis externis & humorum vitiis, quæ Hæmorrhagiæ occasionem dedere, ut viscopitate salsa acidaque acreidine, sanguis non nihil incrassandus & grumefaciendus est. (3) Vasa aperta adstringenda, consolidanda, & conglutinanda. (3) Symptomata prævenienda vel mitiganda. (4) Vires conservandæ. (5) Si prudentiori medico bonum videatur vasa sanguinea per venæ sectionem deplenda sunt.

X X.

His autem scopis omnibus inservire possunt tum interna, tum externa, & interna quidem ea quæ modice incrassandi, coagulandi, adstringendi, consolidandiisque vi prædicta sunt ut quæ acido austera vocantur veluti spiritus nitri, salis, sulph. vitriol., vel spiritus ex mineralibus destillati alii, vel succi ex vegetabilibus expressi ut succus limonum, berberorum, riberiarum, granatorum &c.

X X I.

Eandem paginam adimplere possunt terrea quævis adstringentia, & sanguinem in suo motu particulis suis minus mobilibus refrænanta ut sunt corallia rubra, bolus armena, terra sigillata, sang. draconis, lap. hæmathitidis, vel ex iis præparatae tincturæ, ut & tinctura martis &c. succus acaciæ, hypocristidis &c. rad. bisfortæ, tormentillæ, plantaginis, & quæ ejus generis reperiuntur apud Medicos Practicos & botanicos.

B

XXII. Id

10 DISPUTATIO MEDICA

XXII.

Id etiam efficiunt omnia medicamenta vulneraria nec non balsamica particulis terreis adstringentibus mucilaginosis & demulcentibus constantia ut sunt rad. consolidae utriusque, sigilli salamonis, herb. plantaginis, equiset, alchimillæ, pirolæ, veronicæ, pimpinellæ & id genus alia.

XXIII.

Deinde balsama quæcunque resinosa, gummatosa, vulneraria, sive naturalia sive artificialia fuerint, veluti vitell. ovoidum cum bals. peruviano, de Copaiâ, gelatina carnium & ossium pinguium & mollium.

XXIV.

Quibus non detrahenda sunt anodina narcotica quæ motum sanguinis intestinum vel progressivum minuant ut el. ex opio constantia, laud. opiatum, tinctura ejusdem, pilulæ de styrace, de cynoglossâ & ejus generis alia quam plurima ex quibus omnibus vel aliquibus pro re natâ, diversæ concinnari possunt formulæ ut hoc simileve aliud Apozema,

R. Rad. Bistort.

Tormentill.

Plantag. an. 3j.

Cort. Querc.

Granator. an. 3j.

Herb. Equiset.

Aceros.

Mille Fol. an. mj.

Flor. Rafa. Rubr.

Balaustie an. mj.

Cap. Pap. Alb. no. ii.

Sem. Plantag.

Sumach. an. 3ij.

Coquantur in aq. chalibeatâ vel vino rubro, gallico q.s. colatura 3xxx. adde

Aq.

I N A U G U R A L I S. II

Aq. Cinamoni ʒij.

Prophylacti Amst. ʒvj.

Tinctur. Martis ʒij.

M. F. Apozema.

Aut decocti loco mixtura hæc a Dno Sylvio commendata

R. Aq. Rosar.

Plantag. an. ʒij.

Cinamoni. ʒij.

Prophylact. Amst. ʒiij.

Lap. Hematitid.

Sang. Draconis an. ʒij.

Land. Opiat. gr. ij. ad iiij.

Syr. Myrtin ʒij.

M.

Vel si conditum arrideat,

R. Conf. Rosar. Rubr.

Mivie Cydonior. an. ʒij.

Diascord. Fracast. ʒvj.

Rob. Ribesior. ʒiij.

Corall. Rubr. sp.

Sang. Drac.

Bol. Armen. an. ʒij.

Bals. Peruvian. gr. xx.

Syr. Rosar. Siccatar. q. s.

M. F. Conditum.

Quibus addi possunt cardiaca si vires languent ut confect. al. chermes, hyacinthorum &c.

Qui pilulas vel pulveres malunt ex supradictis facile concinnari possunt.

X X V.

Externe vero possunt adhiberi omnia actu frigida vel incrasstantia aut & adstringentia quæ variis in locis applicanda sunt & sub varis formulis præscribi possunt ut ex vitriolo alb. fungo bovis sarcocollâ, mirrhâ, pulvere magnetis, succo aca-

12 DISPUTATIO MEDICA INAUGUR.

ciae hypocistid. flor. balaustiæ , alumine &c. vel succo herb.
millefol., plantagin. , acetosæ chelidoniæ majoris &c.

X X V I.

Ex fonte chyrurgico commendantur omnia revellentia, cu-
curbitulæ , scarificationes , frictiones , venæsectiones , & in
casu deplorabili cauteria potentialia.

X X V I I.

Dieta ultimo loco pro coronide subsequitur adjungenda ;
& ab ipso curationis principio sedulo instituenda , atque ita
sær in quo æger decumbit subfrigidus sit , & si tempus sit
æstivum alteretur irrovando pavimentum aceto & aq. Rosarum;
vel sternendis foliis salicis , vitis , Nymphaeæ &c. Cibi sint
incrassantes & pauci nutrimenti , potus fit aq. chalibeata , evi-
tentur animi pathemata calidafortiora ut & vigilię immodicæ
quia sanguinem acriorem & magis biliosum hincque fluido-
rem efficiunt ubi e contra somnus humores contemperat eo-
rumque motum cohibet.

Hæc itaque cura absoluta faxit Deus Ter. Opt. Max. ut
cedat in sui gloriam , proximi salutem , & studiorum meorum
incrementum.

